



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Psalmi, Sev Precationes D. Ioan. Fisheri Episcopi Roffensis

Fisher, John

Lvgdvni, 1572

Psalmvs XII. Si Deus paulò diutius auxilium suum differat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41688

mitro, redime me de potestatibus re-
brarum seculi huius, Amen.

PSALMVS XII. SI DEVS

*paulò diuini auxilium suum
differat.*

DEus meus, Deus meus, ecquare me
derelinquis? cur non respicis ad ne-
cessitatem meam?

Nunquid deficiet in æternum miseri-
cordia tua? num vnquam placidus eris
vltrà?

Quousque indignaberis mihi Domi-
ne? ane penitus accendes velut ignem
iram tuam?

Quando tandem respicies, vt eripias
animam meam, à deuastatione inimico-
rum vnicam meam?

Vsquequo clamabo, & non exaudies?
vociferabor ad te vim patiens, & non
saluabis?

Domine Deus exercituum, quousque
irasceris super precibus serui tui?

Redi ad me, ô Deus Saluator meus, &
solue tuam erga me indignationem.

Deus, tu conuersus omnia restituis,
& qui prius moestus erat, de te lætitiã
capiet?

Ad sic

Adsit manus tua firmato dextere tue,
filio hominis, quem tibi magnificasti.

Inimici mei prosperè viuunt, & fortes
sunt, auferuntur quotidie, qui me odio
habent.

Consilium meum vituperant, eo quòd
Deum spem mihi constitui.

Dicunt mihi indies, tu sperasti in Do-
mino, is te eripiat, saluum te faciat, si-
quidem complacentiam habet in te.

Infilium in me tanquam canes, cœtus
iniquorum me oblatrant, manus ac pe-
des meos obsident.

O Domine, ne longè abeas à me, for-
titudò mea in auxilium meum festina.

Erue de interitu animam meam, & de
rabie canum declina viam meam.

Salua me ex ore leonum, & de pro-
fundo lacu libera me.

Tu sanctus es & fortis, & nullus resi-
stet tibi, ex quo feruescit ira tua.

Quis non timebit te Domine, aut ex
principibus tibi non morem geret?

Ab indignatione tua contremescit
terra, & non ferunt gentes comminatio-
nem tuam.

Adiuua me, Deus saluator meus, &

propter gloriam nominis tui, & placare
super sceleribus meis.

Quoniam iniquitatem meam annun-
tio tibi, & peccatum meum vehementer
me vexat.

Surge Domine in auxilium meum, &
redime me propter misericordiam tuam.

O Deus, refugium meum & robur,
auxilium in tribulatione inuētus semper
validum.

Tu excepisti me de ventre prodeun-
tem, & auxilium mihi fuisti ad vbera ma-
tris meæ.

In te coniectus sum à partu, ab utero
matris meæ, Deus meus es tu.

Ne subtrahas te longè à me, quoniam
tribulatio iam appropinquat, & nullus
est qui opem mihi ferat.

Circundant me inimici mei, infesta-
tores mei vndique me cingunt.

Et ego infirmus sum, & comminutus
vehementer eiulatum exprimit mihi do-
lor cordis mei.

Sicut aqua proiectus sum, separata est
fortitudo meo, & instar testæ exaruit
tota.

Miserere mei Deus, miserere mei, nec
imputes

imputes mihi peccata, quæ stultè commisi.

Noli meminisse meorum retrò peccatorum, antequertant ea misericordiæ tuæ, quia miser sum nimis.

Debilitatus & attritus sum valde, mœrens ingredior omni die.

Et nunc quid expecto Domine? certè anima mea ad te respicit.

Ostende mihi bonitatem tuam, & salutare tuum à me ne contineas.

Satiatur malis anima mea, & inferno appropinquavit:

Egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatur intra me.

Ne abijcias me angustiae tempore, & cum iam virtus mea deficit, tu ne deficias.

Ab inimicis meis eripe me, opprobrium mihi insultantibus ne me ponas.

Libera me de rugientibus ad escam paratis, de manibus quærentium animam meam.

Clamo ad te Domine, quoniam tu es spes mea, & portio mea in terra viuentium.

Educ de carcere animam meam, & in

spacioso loco pedes meos sistas.

Ne auertas faciem tuam à me, ne similis fiam descendentibus in lacum.

Intende ad preces meas, quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me, quia robusti sunt supra me.

Velociter exaudi me Domine, ne deficiat in me spiritus meus.

Educ de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperde omnes inimicos meos.

Et perde eos, qui me perdere volunt, quoniam ego seruus tuus sum, Amen.

PSALMVS XIII. IN

*quo gratias agit Deo, quod non
preualuerunt hostes.*

LAudibus te celebrabo, Domine Deus, quoniam exaltasti me, & non preualuerunt inimici mei super me.

Domine exercituum, ad te clamaui, & tu saluasti me.

Extraxisti ab inferis animam meam: tenuisti me, ne ruerem in profundum lacum, vnde nullus reditus.

Non conclusisti me in manibus inimicorum meorum, immò statuisti in lo-